Jacobo Wilhelmo Feuerlino Philosopho Altorf.

Jacobus Facciolatus

S. P. D.

Nisi ego ingenium tuum plane Philosophicum plurimi facerem, numquam certe ad virum longe celeberrimum Joannem Fabricium scripsissem, ut tuam mihi Dissertationem de varijs modis Logicae tradendae curaret. Quod si mihi persuasissem, te tantam humanitatem cum tanto ingenio conjungere, ex ipso fonte petijssem, quod vel longissime petendum duxi. Sed mihi in fatis est, ut omnia, quae Germanis debeo, accepta Italicis sint referenda. Cujus ego Filium, qui nunc Mediolani est, propediem videbo, faciamque ut per eum Pater intelligat, sua commendatione factum esse, ut tam multas lucubrationes, tamque graves a te acceperim. Interim pro certo habe, te munera tua apud hominem collocasse, non quidem magnarum virium, sed magni certe animi, et ad respondendum

paratissimi. Nunc primam huius anni Acro-
asim de more editam ad te mitto: sed ante
annum et novam Orationum mearum edi-
tionem, et Rudimenta Logicae ad usum pri-
vatae scholae scripta, ut spero, habebis.
Ornatissimis Adolescentibus, quos mihi com-
mendas, siquid opus erit, neque in hac urbe,
neque alibi in Italia deero; ut vel ex hoc
ipso cognoscas, quid de te sentiam. habe-
asque minimum hoc, tametsi valde leve,
grati animi testimonium. Vale.

Patavii prid. Id. Decembr. MDCLXXVII.